

turos in ducem Syriae, seditionem movisse. Quod audiens S. Gregorius patriarcha Antiochenus profectus est ad eos, et habito sermone ad pacem et quietem eos cohortatus est, solvitque a juramento. Cum vero illi nondum acquiescerent, prostratus in genua sua, pacem ab eis petiit. Ergo hac demissione victi obtemperaverunt ejus voluntati in omnibus. Credendum itaque Dei quoque iram hujusmodi precatione expugnari posse.

Tertio, in signum miseriae humanae, quam incurrimus per lapsum primorum parentum. Tunc enim a culmine summi imperii dejecti sumus in exilium et servitutem, factique similes brutis; et qui cum Deo et angelis conversari debebamus, humi inter bestias repere et bestialem vitam agere cepimus. Deiecit ergo nos in terram, orantes ut miserum nostrum statum et confiteamur, et Deo representemus; idque facimus per sex hebdomadae dies: dominica die ad orandum surgimus, ut resurrectionem nostram a lapsu exprimamus.

Quarto, in signum obedientiae, qua parati sumus ad excipiendas plagas, quas meruimus, necnon ad crucem et jugum Christi ferendum. Ferunt, camelum, cum onerandus est, in genua subsidere, ideoque dictum camelum, a Graeco, humile, vel a camor, quod est, curvum, ait Isidorus, l. XII. etymol. c. I. Ita se prostravit Dominus in Oliveto, cum in se decretum crucis ac passionis a Patre sibi impositum susciperet: cuius etiam onere depressus procidit in faciem. Hujus ergo exemplo et nos procumbimus in genua, ut paratos non exhibeamus ad faciendum et ferendum quidquid nobis imposuerit Deus.

V. Prostrato corpore oramus, uti ministri altaris in die Veneris sancto et sabbato s. paschatis. Sic orasse Davidem pro salute filii colligimus ex II. Reg. XII. idemque alibi scribit: *Adhaesit pavimento anima mea*, Psal. CXVIII. et Psal. XLIII. *Adhaesit in terra venter noster*. Hunc porro in modum oramus: primo, ut nos cinerem et pulverem adeoque coram Deo praesertim, nihil esse profiteamur, dicendo quasi cum Abrahamo: *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis*, Gen. XVIII. et cum Job XLIII. dicente: *Idcirco me reprehendo in favilla et cinere*. Sic viginti quatuor seniores, Apocal. IV. procidebant ante thronum Dei in facies suas, mittentes coronas suas ante thronum; ea caeremonia Dei majestatem suamque parvitatem protestantes, omniaque Deo accepta ferentes. Si hoc faciunt summi sancti, David, Abraham, Job, quid nos terrae vermiculi et peccatores?

Secundo, ut Dei iram mitigemus, dum nos ad

pedes ejus abjicimus. Si enim leo, generosum animal, prostratis parcat, speramus etiam Deum nobis reconciliandum, cum prostrati in sum oramus, ut qui jam non pugnare volumus, sed gratiam imploramus. Sic Theodosius imperator penitentiam in ecclesia egit de perpetrata Thessalonicensium caede, ante altare prostratus, suffusus lacrymis, teste Baron. anno 390.

Tertio, ut gratiam et quae postulamus, efficacius impetremus. Solent ipsi canes, cum a certo loco vel domino suo abigi nolunt, humi se prosternere ut vel ab invitis tolerari debeant. Ita S. Antonius ante cellam S. Pauli eremita, cum non admitteretur, jacuit sex horis, dicens se nequaquam recessurum, sed ibi moriturum potius, si excluderetur, apud D. Hieron. in vita Pauli. Ecebolius ille, Ecclesiae desertor, pro foribus templi se prostravit, clamans ad transeuntes: *Quasi sal infatuatum pedibus me conculcate, dummodo in Ecclesiam recipiatis*, Baron. anno 362. Legio illa christiana, dicta fulminatrix in castris M. Aurelii imp. summis in angustiis, rogata ab imperatore, ut desperatis in rebus (inclusus enim imperator erat ab innumerabili barbarorum exercitu) invocaret Deum suum, prostravit se in facies, et impetravit exercitui Rom. frigidissimum imbrem, in hostes vero mixtam fulminibus grandinem, peperitque imperatori victoriam, teste S. Justino, in apologia.

VI. Inclinamus caput, et incurvamus corpus, oculosque in terram demittimus, uti Publicanus in hodierno evangelio, aliique. Primo, ut miseriam conditionis nostrae coram Deo agnoscamus. Etenim infans in utero matris ita incurvus jacet, ut nasum inter genua, et oculos super genua ponat. Hunc in modum orabat Elias, III. Reg. XVIII. capite inter genuaposito. Erubescimus ergo coram Deo ob miseriam et paupertatem nostram.

Secundo, ut indicemus nos plagis dignos, adeoque non aptemus quasi ad eas excipiendas. Sic enim servi componebantur ad plagarum inflictionem. Hanc ob causam Achab gravi addictus poenae ex decreto Dei, demisso incedebat capite quasi plagis dignus: sicque Deum placavit, et poenam a se amolitus est, III. Reg. XXI.

Tertio, ut gratiam et benedictionem a Deo accipiamus. Eam ob causam in fine inclinamus nos ad benedictionem accipiendam. Ita Ezechias rex, cum finita esset oblatio, incurvatus est, et omnes, qui erant cum eo, II. Par. XXIX. Recte et apposite; in valles enim et depressa loca decurrunt caelestes aquae, et ibidem colliguntur. Ut nummum e terra tollamus, inclinamus nos; cur non inclinemur, ut suscipiamus Dei benedictionem?

CONCIO V.

GRATIARUM ACTIO PRO BENEFICIIS DIVINIS.

I. Pro beneficio creationis. — II. Pro beneficio conservationis. — III. Pro beneficio redemptionis. — IV. Pro beneficio vocationis. — V. Pro beneficiis particularibus.

THEMA.

Deus, gratias ago tibi. Luc. XVIII.

Bene dixit Eccl. VII. *Melior est finis orationis, quam principium*. Id enim ex hodierno evangelio manifeste patet, ubi Pharisaeus optime orare cepit, pessime autem desinit, et ita totam orationem suam perdidit. Optime incepit, quia a gratiarum actione: *Quid autem melius et animo geramus*, inquit August. epist. V. ad Marcellin. *et orare promamus et calamo explanemus, quam Deo gratias?* Sed quid profuit bene cepisse, si in vanam jactantiam et proximi contemptum orationem terminavit? Nos igitur velut apes ex hoc malo flore, quod bonum est seligemus, gratiarum scilicet actionem pro Dei beneficiis, quod primum est, relinquemus.

I. Deo gratias agamus ob beneficium creationis. Primo, quod ex abyssu nihilis nos eduxerit et aliquid fecerit, cum nihil referret nos esse aut non esse.

Secundo, quod homines fecerit, ad imaginem et similitudinem suam, ut possimus ipsum summum bonum agnoscere, laudare, colere, eum servire. Quid enim si fecisset nos bestias, buffones, serpentes, lapides, muscas, etc. Jam si plurimum debemus nostris parentibus quanto plus Deo, qui animas nostras creavit, et corpora etiam nostra velut causa prima efformavit?

Tertio, quod homines integros, sanos, nulli defectui obnoxios. Unde Bernard. serm. XIV. in Ps. Qui habitat, inquit: « Si quis oculorum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si quis manuum, si quis pedum tibi, praepeditum aliquo modo reparasse videretur; si quis sopitam quavis occasione excitasset in te rationem: quis non alius tibi vehementissime succenseret, si quando forte hujus beneficii immemorem aut benefactori deprehendisset ingratum? Enim vero Dominus Deus tuus, ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit haec omnia. Nec modo fecit, sed et compegit etiam et formavit ac suo quoque illustravit officio. Quomodo non is omni jure sibi gratias exigit ampliores. » Sic ille.

Quarto, quod ad beatitudinem supernaturalem et vitam aeternam; ut Deum amemus et aeternum eum videamus, ejusque bonis omnibus perfruamur in aeternum.

Quarto, ut divinae majestati reverentiam exhibeamus, nosque humiliemus, quasi indigni simus, qui ad eam oculos levemus ob peccata nostra. Sane etiam bestiae ob errorem aliquem inerepatae, caput inclinant, et oculos demittunt, quasi aspicere nos non audeant uti canes, necnon leones coram viris sanctis. Denique: « Vellem scire, inquit Caesarius episcopus Arelat. ho. XXX. qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, si aliquid sibi satis necessarium aut a iudice, aut ab aliqua potenti persona peterent, utram stantes et recto capite negligerent et tepide supplicarent. Rem terrenam ab homine terreno quaerimus, et prope usque ad terram nos humiliter inclinamus: et a Deo remissionem peccatorum et aeternam requiem inquirentes, ne capita nostra inclinare dignamur. » Sic ille.

VII. Stamus etiam subinde, uti Publicanus et Pharisaeus hodierni evangelii, et hoc etiam variis de causis. Primo, ut nos moneamus erigendam esse mentem in Deum, cum oramus; siquidem oratio nihil aliud est, nisi elevatio seu ascensio mentis ad Deum, ex Damasceni l. III. cap. XXIV. et theologorum sententia. Sic orabat Judith, stans ante lectum Holofernis, cap. XIII. velut fiduciam habens in Deo.

Secundo, ut promptos nos ad Dei voluntatem perficiendam exhibeamus. Stare enim servientium est; unde angeli coram Deo stare (Apoc. VII.) et assistere ac ministrare, Dan. VII. dicuntur. Atqui haec est causa, cur ad evangelium, et cum quid ex evangelio legitur vel canitur, uti Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis, stemus in ecclesia, quasi parati ad exequendum, quod in evangelio nobis praescribitur.

Tertio, ob victoriam resurrectionis, qua una cum Christo surreximus, e peccatorum sepulchro. Idque Ecclesia consuevit diebus maxime dominicis, qui in memoriam resurrectionis instituti sunt, et tempore paschali. Primo, ob resurrectionis Christi memoriam et gaudium, uti statutum in Concilio Niceno I. num. XX. secundo, ob resurrectionem nostram, communiter enim olim Christiani in dominicis diebus ad s. communionem accedebant: tertio, ne rursus post victoriam cadamus, sed in omnibus perfecti stamus.

Quinto, quod propter nos omnia alia, ut nobis servirent et auxilio essent ad consequendum finem nostrum; ut eis dominari possemus, et mortem viventibus inferre absque injuria, quo nos sustentaremur.

II. Gratias agamus ob beneficium conservationis. Primo, quod nos in esse conservet et sustentet, quasi pendulos in aere, ne in nihilum nostrum relabamur. Non enim possumus per nos subsistere, uti pictura vel domus; sed egemus perpetuo sustentante creatoris manu, uti lumen vel radii solares solis influxu. Unde sicut omni momento, omni respiratione, vitam a Deo accipimus, ita semper ei grati esse debemus.

Secundo, quia nos alit et vestit quotidie. Si contingeret nos in itinere fatigatos ad pedem alicujus turris quiescere fameque et siti plurimum affligi, esset autem in turri quispiam, qui cibum et potum affatim nobis dimitteret, possemusne nos continere, quin oculos nonnunquam eleveremus, quis ille sit, qui tam bene de nobis meretur? Id autem facit Deus. Unicam refectionem misit aliquando Danieli in lacu leonum, et quam grato suscepit animo Daniel? *Recordatus es mei Deus*, inquit, *et non dereliquisti diligentes te*, Dan. ult. Nos quotidie a Deo pascimur, quantas ei gratias debemus?

Tertio, quod omnes alias creaturas destinavit in servitium, obsequium et conservationem nostram: Angelos imprimis in custodiam et praesidium nostrum, licet multo nobis praestantiores. Deinde, mundum totum assidue nobis laborare fecit; nobis enim gyranitur caeli, splendet sol et luna, lucent sidera, spirant venti, coguntur nubes, descendunt imbres, assurgunt montes, currunt flumina, moventur maria, germinat terra, foecundatur aqua et parturit omnis rerum natura. Ille *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*. Quidquid sub caelo reperitur, aut est in usum hominis, aut in usum ejus rei, quae homini famulatur. Licet enim homo non vescatur muscis, quae in aere volitant, vescitur tamen avibus, quae muscis illis aluntur. Et licet non manducet herbas agrestes, manducat tamen pecudes et bestias variarum specierum, quae herbis illis aluntur, etc. Omnia quae sub caelo sunt nostrae conservationi serviunt. Quaedam enim sunt ad nos nutriendos, quaedam ad vestiendos, quaedam ad docendos, quaedam ad recreandos, quaedam ad castigandos, quaedam ad sanandos. Quot genera ciborum, ad nos alendos? Quot pellium et tegumentorum, ad vestiendos? Quot herbarum, ad curandos? Quot rerum diversarum formae et species, ad recreandos? Aliae oblectant oculos ut flores et colorum

varietates: aliae aures ut harmoniae musicae et avium cantus: aliae nares, ut odores et aromatum species: aliae os et palatum afficiunt ut infinita fructuum, piscium, volucrum et quadrupedum genera.

Quarto, quod ab innumeris malis nos praeservavit, tam fortunae quam naturae, in quae jure incidere poteramus. Alios enim videmus caecos, alios claudos, alios mancos; hunc podagra, illum hernia, alium calculo affligi; alios repentinis casibus opprimi et mori; quosdam in carceribus computrescere; nonnullos servitute premi intolerabili; alios ad triremes; alios ad furcas, rotas, ignes condemnari. In quae omnia incidere poteramus, quia ejusdem cum illis naturae sumus, nec multum dissimiles culpa. Et si in haec incidissemus forsitan patientiam perdidissemus, et mori desiderassemus; necnon omnia nostra libenter dedissemus ut ab iis liberaremur. Quas gratias ei egissemus, qui nos ab ejusmodi malis liberasset? Eas igitur Deo agamus.

III. Gratias agamus ob beneficium redemptionis. Primo, quod ipse in propria persona nostram carnem induerit et in terras ad nos descenderit, nosque redemerit, cum nemo alius id praestare potuisset, vitam etiam ipsam dederit.

Secundo, quod modo tam difficili, tot laboribus, cruciatibus, ignominiiis, etc. cum sufficeret unica sanguinis gutta.

Tertio, quod a tantis malis nos redemerit, a servitute nimirum peccati, mortis aeternae et diaboli. Peccatum certe tantum est pondus, ut nos in momento detraxisset in infernum, non minus quam Luciferum, nisi ejus pondus Christus inhibuisset. Hinc peccata vocantur *rudentes*, II. Petr. II. quia uti funis nauticus, quo trahitur navis oneraria, si forte aliquo lapsu tangat nautam, illico e navi excutit maxima vi in aquas, aut medium findit, ita et peccatum mortale. Sic enim excussit Luciferum cum suis e caelo in abyssum.

Quarto, quod tanta bona per eam redemptionem nobis paraverit. Doctrinam, exempla virtutum, adoptionem divinam, thesaurum meritorum inexhaustum et perpetuum, sacramenta quibus a peccatis abluuntur, et gratiam comparare atque augere possumus, vitam aeternam denique.

IV. Gratias agamus ob beneficium vocationis. Primo, ad baptismum et fidem sine ullis praecedentibus meritis nostris, quod in eo nos abluerit et vestierit pretioso gratiae ornamento. Nemo enim potest venire ad Deum nisi ab eo tractus fuerit. Quot animae nobiscum concreatae sunt, quarum tamen aliae in Turciam, aliae in Indiam, aliae in Barbariam, aliae in Judaismum, aliae in

haeresum terras missae sunt? Nos vero voluit esse Christianos catholico loco natos. Quid vero, si nos in aliquam illarum terrarum infidelium ablegasset? Annon idem essemus, qui sunt ipsi?

Secundo, quod in vera fide nos conservavit. Quot enim millia Christianorum sunt, qui post agnitam veritatem relabuntur in haeresin?

Tertio, quod lapsos et errantes revocaverit ad gratiam et justificaverit. Quam multi enim in gravia peccata inciderunt, e quibus non emergerunt? Nos vero quoties ad poenitentiam voce magna vocavit et evocavit velut Lazarum e sepulchro? Quot tabulas nobis adjecit quibus enataremus naufragi? Quam patienter nos expectavit? Quamdiu toleravit? Quoties et quamdiu oves errantes et a se fugientes, imo sibi resistentes quaesivit? Quam paterne reduxit, quam benigne vulnera nostra curavit? Quam multos alios vocavit sed inefficaciter? Quam liberaliter bona per peccatum perdita poenitentibus restituit? Denique, haec omnia nullis nostris meritis, sed sola sua misericordia nobis impertivit. Quot millia animarum ardent nunc in inferno, justo Dei judicio, quibus haec non praestitit, quaeque salvatae fuissent, si eandem gratiam, quam in nos largiter effudit, illis quoque donasset? Et quid amplius nos fecimus, quam illi? Quare meruimus, ut feliciores illis essemus? Cur nos vasa honoris ad mensam Dei, illi vero vasa ignominiae ad mensam daemonum facti sunt? *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei!*

V. Gratias agimus ob beneficia particularia. Primo, ob ea quae sunt aliquo modo naturae: ut quod infantes non extincti, quod non ex parentibus infamibus, illegitimis, haereditario morbo infectis, magis et veneficis, mendicis, nebulonibus nati; quod a parentibus piis pie educati; quod sub disciplina bene eruditi et a peccatis abstracti; quod bono ingenio, patria, familia, robore, sanitate praediti, etc.

Secundo, ob bona fortunae, quod honores, opes, dignitates, officia, statum nobis competentem consecuti. Item quod aureo saeculo vivamus; si enim tempore persecutionis sub tyrannis vixissemus, forte defecissemus a fide tormentis absteriti; si tempore Lutheri, forte seducti; si victuri essemus tempore antichristi, forte rursus in errorem ducendi.

Tertio, ob ea quae sunt gratiae propria; quod plurimi peccandi occasiones nobis subtractae, tentationes mitigatae, vires ad pugnandum auctae; quod a plurimis malis et damnationis periculis praeservati; quod innumeris bonis inspirationibus Spiritus s. quasi a latere nobis adherentis ad omne bonum excitati et instigati; quod non

pauca indicia habeamus nos esse in gratia Dei, necnon e praedestinatis.

Pro his aliisque innumeris beneficiis, Deus, gratias tibi agimus, non quomodo Pharisaeus egit. Non enim censemus nos obtinere haec bona ex nostris meritis, sed ex tua gratia et misericordia: non extollimus nos ipsos sed indignos judicamus, quibus haec obtigerint: non aspernamur proximos nostros, qui haec beneficia non acceperunt, sed iis condolemus, ideoque nos cum S. Francisco maximos omnium peccatorum existimamus, quia si illi tantam accepissent gratiam, forte meliores nobis essent. Non praesumimus, sed timemus, ne quod gratis datum est, rursus a nobis auferatur; nec tantummodo gratias pro acceptis agimus, sed praeterea humiliter precamur, ut haec bona tua in nobis conservare et augere usque ad finem vitae nostrae digneris.

Sed ad finem audiamus, quales agere gratias soleant Deo improbi, quo eorum ingratitude toto pectore horreamus. Historiam refert Mart. Delrius, l. III. disquisit. mag. p. I. q. VII. s. II. in haec verba: « Exemplum dabo, quod etsi recenti fere memoria multis notissimum sine horrore tamen nequit memorari. Loci nomen taceo. In Flandriae comitatu prioratus est. Tres ibi nomine tenus monachi degebant, reganeones et concubinari, sua cuique erat, nec pudor ullus aderat, simul helluari et libidinari. Quadam die in seram noctem computatione protracta unus qui minus scelerosus: Sat (ait) Baccho, ventricue datum: Deo gratias saltem. Ego vero, subinfert alius procacior, cacodaemoni gratias ago et agendas censeo, cui operantur. Et cum risu mensa relicta, ruitur in cubilia. Singuli cum scorto vix decubuerant, ecce tibi in triclinium vi janua reserata daemon, magni, atri et trucis viri specie, habitu venatorio, et cum eo coqui duo parvuli, obambulat, et lectos circumspicit torvo vultu; cui deinde horrenda voce: Ubi, qui mihi gratias egit? Adsum, referam; lecto abstrahit pavitanem, ferme praemetu animam efflantem, traditum coquis jubet infigi veru et luculento igne probe assari; parent prompte, assatur infelix, emoritur planissime, caeteri fere praeformidine, assi corporis nidore cubiculum impletur. Demum venator ad superstites sub stragulis trepidantes vix vivos: Digni vos etiam (ait) pari supplicio, nec deest voluntas mihi: Vetur vi majore, invitus abeo, et moneo: respicite, aut manent terribiliora. Disparent larvae: nec tamen his aliis animus rediit vel vox, nisi clara jam luce. Ubi surrexere, collegam inveniunt mortuum et (visum inane putes) plene assatum. Haud scio, an ab aliquot saeculis quidquam ad exemplum uti-

lius acciderit, scio locum et ordinem, sed utrumque silentio involvo.

CONCIO VI.

QUOD NEMO CUIQUAM SE PREFERRE DEBEAT.

I. Quia qui alteri se præponit, dejicit. — II. Quia invidia se exponit et odio. — III. Quia temere agit. — IV. Quia bona ejus aliena sunt. — V. Quia qui se exultat humiliabit. r.

THEMA.

Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. Luc. XVIII.

Regius propheta, Psal. LXXIX. lamentatur inter alia, quod vinea populi Judaici devastanda sit a silvestri apro et singulari fero, hoc est, a superbissimo Nabuchodonosore, qui postea captivum duxit populum in Babylonem: *Exterminavit eam aper de silva*, inquit, *et singularis ferus depastus est eam*, (loquitur de futuro, juxta morem prophetarum quia tam certo res eventura erat, ac si jam evenisset.) Porro D. Aug. mystico sensu per aprum illum seu singularem feram superbiam denotari ait, quia, uti aper solitarius esse solet, ita et superbia consortem respuit: *Solus enim superbus ait: Ego sum, ego sum, et nemo*, inquit Aug. Suffragatur eidem s. p. Innoc. de vilit. condit. hum. ubi ait: *Omnis fere vitiosus diligit sibi similem, solus superbus odit elatum*; unde: *Inter superbos semper sunt jurgia*. Suffragatur et hodiernum evangelium, in quo superbus Pharisæus velut aper solitarius et singularis omnibus se præfert, æqualem nullum recipit. Ait enim: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. Quid est cæteri hominum*, inquit Aug. ho. XXXVI. de verb. Dom. sup. hoc evang. nisi omnes præter ipsum? *Ego inquit justus sum: cæteri peccatores. O aper de silva! O singularis ferus!* Atque utinam hic aper non vastaret etiam modo Ecclesiam Christi. Sed heu nihil fere communius quam aliis se præponere: unde magna sæpe odia, pessimæ emulationes, et diuturnæ inimicitiae nascuntur in Ecclesia. Ingreditur hic aper ad forum, ad mensas, ad altare ipsum; siquidem et in templis contenditur de præminetia. Quoniam igitur huic vitio obviare voluit Dominus in hodierno evangelio, obviabimus et nos pro modulo nostro, argumenta proponendo quæ vitium hoc dissuadeant.

I. Noli cuiquam te præponere. Quia qui alteri se præponit, viliori se loco collocat, viliolemque se facit eo, cui se præponit, contra intentionem suam; siquidem inferiorem locum ipsamet Dei

sapientia elegit et tenuit, adeoque honoratiorem fecit. Apud homines quidem nondum omnino constat, quis sit locus honoratior, ambulare in dextra vel in sinistra, vel quis locus honoratior sit in mensa. Quod si tamen videremus morem incedendi vel sedendi principibus consuetum, sine dubio illum sequeremur, et nunc eum locum pro honoratiore haberemus, quem ipsi vel censerent, vel inter subditos suos occuparent. Jam vero multo magis standum est iudicio Dei, uti in aliis omnibus, ita et in hac re. Quem vero locum putatis occupasse Deum inter homines? Nonne in Bethlehem nasciturus, infimum elegit, extra civitatem in spelunca, relinquens aliis diversoria? Nonne a Joanne baptizari voluit, quem ipse potius baptizare debebat? Nonne Petro et discipulis suis lavit pedes, qui ab ipsis potius lavari debuisset? Nonne inter latrones pendens abjectissimum et maxime infamem elegit sibi locum medium scilicet velut dux latronum? Ad hæc nonne Luc. XIV. expresse docuit ambiendum, et occupandum præ omnibus infimum locum esse? Nemo igitur dubitare debet locum inferiorem, esse revera et coram Deo digniorem superiori, quem mundus quidem digniorem putat, sed fallitur, quia potius credendum principibus, quam vulgo, Deo quam hominibus. Ac licet constaret locum aliquem esse viliolem, in mensa, v. g. vel in templo, eo ipso tamen, quod rex vel princeps illum occuparet, honoratiorem redderet sua præsentia. Si enim aliquis princeps nunc templum ingrederetur, et novissimo loco sederet: eo etiam se conferrent omnes ejus nobiles, et quo quis viciniore principi sederet, eo honorabilior reputaretur, licet omnia illa loca nos alioquin infima putaremus. Cum ergo nunc sciamus Deum in mundo novissimum locum semper prætulisse et occupasse; illuc etiam nobis necessario concedendum erit, si revera et coram Deo magni et gloriosi esse volumus. Unde maximi quique sancti et Deo amicissimi, ad illum se contulerunt, et pro eo contenderunt, quem viderunt occupasse Dominum suum.

Non quærit quidem humilis locum inferiorem tamquam digniorem, sed tamquam viliolem. Fit tamen nihilominus mira Dei dispositione locus ille dignior, quia cedit illi in gloriam coram Deo et sapientibus, atque ita acquirit humilis honorem dum videtur eum perdere et respuere; ad eum fere modum, quo pietor ille Nealees, dum equi imaginem ex indignatione voluit destruere, quod oris spumam exprimere non posset, projecta in tabulam spongiam, hoc ipso spumam illam affaberrime expressit, auctore Valerio M. Plinio et Plut. Sic enim vir humilis, dum ho-

norem a se amoliri, suamque excellentiam vult deprimeri et obscurare, eligendo obscuriorem locum, hoc ipso magis extollitur et consequitur honorem.

II. Quia qui alteri cuiquam tandem se præponit, invidiæ se exponit et odio, adeoque pro tranquillo loco turbulentum sibi deligit; nemo enim nescit, quot invidiæ et oblocutionum telis appetatur, qui aliis se præponit. Scimus alta ædificia editisque in locis posita, a tempestatibus maxime infestari, non item humilia, et quæ in vallibus sunt: sic locus eminentior, detractionibus et ludibriis, necnon omnis generis insidiis obnoxius est; non item humilis. Rursum ut elementorum tranquillissimum est terra, quæ infimum orbis locum tenet, supremum vero, ignis, inquietissimum: ita et vir humilis omnibus se inferiorem reputans, quietissimo est loco, superbus vero se extollens, omnium inquietissimo. Videre id erat in Lucifero, qui cum diceret: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, etc.* Isa. XIV. mox a Michaelae et cæteris angelis unanimiter impugnatus, et in abyssum est dejectus, dicente nimirum Michaelae: *Quis ut Deus?* (uti sonat ejus nomen, *Mi quis, cha ut, El Deus.*) Expertus idipsum est Joseph, licet absque sua culpa: qui cum fratribus narrasset somnia sua, quibus indicabatur fore ipsum dominum illorum, mox sibi infensos habuit et vitæ insidiatores. Quamobrem Cato de republ. Rom. licet optime meritis, nullam sibi in foro statuam erigi voluit, ne invidorum obtreactionibus pateret. Unde rogatus, cur inter tam multos nobiles statuam non haberet: *Malo, aiebat, bonos ambigere, quamobrem id non meruerim, quam, quod est gravius, cur impetrarim mussitare.* Refert Maiol. to. II. canic. col. I. Rectissime igitur monet S. Bern. ser. XXXVII. in Cant. ut ne ulli quidem nos comparemus, nedum præponamus: « Comparare, inquit, te noli majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni, recumbe in novissimo loco, ut solus videlicet omnium novissimus sedeas teque nemini, non dico, præponas, sed nec comparare præsumas, » item, ib. « Non est periculum, inquit, quantumcumque reputes minorem, quam sis. Est grande malum, horrendumque periculum, si vel modice plus vero extollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas, quem forte parem tibi veritas judicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare nimium bassum sit, non nocet, quantumcumque te inclinaveris; nocet autem, si vel transversi digiti spatio, plusquam ostii patitur mensura, erexeris, ita ut impingas, et capite

quassato collidaris. Sic in anima non est timenda quantalibet humilitas, horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temere præsumpta erectio. » Sic Bern. refertur in lib. sent. pp. § CXXI. vocem aliquando ad S. Anton. in cella orantem esse delapsam: *Antoni, necdum ad mensuram coriarum istius, qui in Alexandria est, pervenisti.* Quo audito senex consurgens mane, arrepto baculo festinus advenit Alexandriam. Cumque ad designatum hominem pervenisset, et ingressus fuisset, ille viso tanto viro obstupuit. Cui senex dixit: « Refer mihi opera tua, quia propterea de deserto veni. Qui respondit: « Nescio me aliquando boni aliquid perpetrasse, unde et ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere meo resideam, dico, quod omnis hæc civitas a minore usque ad majorem ingrediatur in regnum Dei, propter justitias suas, ego autem solus propter peccata mea, penam ingrediar sempiternam, quod verbum antequam quiescam, sero ex cordis mei recenseo veritate. » Hoc audiens B. Antonius dixit ei: « In veritate, fili, sicut bonus artifex, sedens in domo tua cum requie regnum Dei adeptus es: ego autem velut sine discretionem omne tempus meum in solitudine conversatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram. »

III. Quia temere agit, qui se præponit, de re ignota et apparente judicat, ideoque facile errat. *Homo videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor*, ait Deus ad Samuelem, quando jussit ut de filiis Isai ungeret unum in regem, i. Reg. XVI. noluit enim, ut staturam aut externam formam consideraret, factumque ut minimus omnium, David eligeretur. Libro clauso simile est cor hominis, quod a solo Dei oculo penetratur. Apparet quidem externe alter liber altero præstantior, quia scilicet elegantiori operculo tectus et compactus est. Si tamen aperirentur ambo, sæpenumero vilior foret, qui pretiosior parebat. Ita quamdiu libri mentium humanarum clausi erunt, tamdiu impossibile nobis erit, iudicium de illis ferre, aut comparisonem instituere. Quod si unus liber elegantius compactus est, alter forte intus elegantiori calamo conscriptus est. Quod si elegantiori quidem litteratura exaratus est, alius forsitan rudi quidem stylo scriptus, nobiliores tamen tradit artes. Ita res habet inter homines. Si enim alterum viceris dote una, facile fit, ut vicissim ab eo vincaris altera et majore quidem, non secus ac pavo cantu superatus a luscina, plurimis longe antecellit. Elegantius vestitus es, sed alter est formosior: forma præstantior es, sed alter sanior ac robustior: ditior es, sed stupidus forte et sine cerebro sicut pul-